



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Coitus carnalis inter consanguineos commissus damnabili est, quia
naturalem destruit honorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

dacis nostris. Et huic modo propinquus est septimus, quando adiungunt apocrypha seu incerta. Mirum est enim quod homini incerta habeant à Deo virtutem, & certa non. Et rursus quod sanctis viris quibus Deus credidit secreta sapiëntiæ suæ & virtutem potentiæ suæ in miraculis & sacramentis, & curam animarum, quibus promittitur notitiam omnis veritatis, secretas has sacrorum virtutes negauerit, & vetulis ac personis qualibuscunque hæc communicauerit. Vnde homini incerta sunt saltem vt suspecta cauenda. Et si non vis falli, nulli in materia incantationum credas: quia impossibile videtur vt non interueniat aliqua superstitio saltem in modo dicendi: puta dicere Pater noster ad aures equi. hoc enim superstitiosum constat esse, & sic de aliis.

*Crimen incendiarij voluntariè commissum mortale est, & civili
pœna multandum.*

Incendiarius (hoc est malo animo comburens) manifestum damnum infert, & periculo reliqua exponit. Vnde à crimine maximo non excusatur si ex intentione facit. Si verò præter intentionem ex negligentia, iuxta modum negligentiae reus est apud Deum. Quod si absque omni ipsius culpa contingat ab eo incendium processisse, nullum peccatum est: sicut absque culpa tempore statuto communiter incenduntur campi in fine Augusti, vel &c. iuxta patriarum consuetudines diuersas. Sunt autem incendiarij excommunicandi. Et si denunciati fuerint excommunicati, non possunt nisi ab Apostolica sede absolui: vt habetur extrà de sent. excom.

*Coitus carnalis inter consanguineos
commissus damnabili est, quia*

natur-

naturalem destruit honorem.

Incestus (quo inter consanguineos seu affines carnalis fit commixtio absque dispensatione matrimoniali) peccatum est mortale inter grauiora, propter naturalem reuerentiam naturalemq; foedus violatum. Et sicut ad incestus crimen spectat etiam sine opere consensus in consanguineam seu affinem: ita ad incestus speciem spectant impudicitiae & carnales commixtiones impuberum personarum, si consanguinitate aut affinitate sunt iunctae: quoniam & sunt huiusmodi actus ut via ad consummatum incestum, & multo propinquius quam cogitationes ad incestum, ordinantur quantum in se est consummandum licet ex impotentia aetatis non consummetur.

Imprudencia peccatum ex inconsideratione inductum negligentiae potest attribui, & ideo damnabile est.

Inconsideratio agibilium humanorum quantum ad eas condiciones quas potest & debet homo talis considerare, peccatum est imprudentiae, siue sit voluntaria ex intentione, quia scilicet noluit considerare, siue ex negligentia, quia non adhibuit suam diligentiam ad considerandum illa quae consideranda erant. potest autem esse peccatum mortale, quando scilicet est respectu eorum quae sunt de necessitate salutis facienda, dicenda, appetenda, cauenda &c. Veniale autem quando respectu aliorum. Et haec intellige de consideratione consummata: hoc est procedente ad voluntarium actum male consideratum, in quo est inconsideratio contrariè: vel non consideratum, in quo est inconsideratio priuatiuè.

Aduerte tamen, quod si contingat aliquem ex sola

X 5

inconfi-